ANIMADVERSIONES IN ANATOMEN PATHOLOGICAM QUAS AD LAUREAM...

Giovanni Battista Rocchetti

ANIMADVERSIONES

IN

ANATOMEN PATHOLOGICAM

QUAS

AD LAUREAM MEDICAM OBTINENDAM

IN CAES. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICE INSTITUIT

JOANNES BAPTISTA ROCCHETTI

TRIDENTINUS

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

M. DCCC. XXX

7 88

BARTHOLOMEO . FEDERLE

MEDICINAE . ET . CHIRVRGIAE . DOCTORI

IN . RE . OBSTETRICIA . MAGISTRO

CLINICE . CHIRURGICAE . PRAEFECTO

AMICO . VERE . AMICVS

AVCTOR

D.

„ *L' Anatomia Comparata e Patologica, sono i cardini principali pei progressi della Medicina „.*

SPRENGEL Stor. Pram. della M. T. X.

" Quoties aliquid aut dicimus aut loquimur, toties de „ nobis judicatur „ inquit Cicero: judicatur vero ab imperitis et sciolis aeque ac a doctis hominibus et eruditis: sed judicium illorum aspernamur, veremur, et fugimus, horum sententias grato accipimus animo, easdemque etsi minus propitias votis, libentissime etiam sectamur. Si quid enim veri specie nos deceperit, docemur, et erroris detecti tristitia a judicum clementia superatur. Quare quum hodie in conspectu vestro, Viri doctrina ac virtute spectatissimi, publice mihi disserendum sit, ideo pertimescam? Vires deficiunt, fateor, impar tanto labori mens est, tentamen periculi plenum: atqui vestra meum humanitas erigit animum, et dum vos adloquor in hoc illustri concilio, sola attentione vestra magis delector, quam adfligar tristi timore illapsi erroris, qui in brevi sermone meo a vobis detegatur. His roboratus de Anatome Pathologica nonnulla dicens, omnia saltem ea audentius enumerabo, quae alias vel trepidam aufugissent memoriam, vel ratiocinium irretissent. Pauca propemodum invenietis illecebris gratissimae novitatis ornata, in-

venietis quidem juvenem, qui doctrinas vestras palam hodie profitetur, et apud multos etiam defendit.

Quum primum ad hoc argumentum animum adpuli, spontanea, et pro re nata valde commoda, et caeteris praemittenda mihi visa est divisio Universae Anatomiae in Physiologicam et Pathologicam. Physiologicam eam dicimus, quae in cadaveribus integram et naturalem texturam, formam et situm partium disquirit, et Physiologiae fundamenta ponit: Pathologicam vero, quae textus et fluida animalia morbis perturbata, immutata, vel procreata considerat, et Pathologiae omnino prospicit. Perperam nonnulli unam alterius partem adpellarunt unam cum altera confundentes; maximum enim, et uti vocant, essentiale est inter utramque discrimen, quemadmodum adesse animadvertitur inter singula earum objecta.

Ampla est in Medicinae Historia lacuna antequam ad hujus scientiae primordia deveniamus: antiquitus enim Anatome pathologica cum physiologica simul latitabat, et dum haec coepit excoli, cum eadem etiam confundebatur. Dein secernebant quidem anatomici morbosas viscerum conditiones, tamen curiositatis specie potius, quam ejus praestantia et utilitate adliciti; serius dum caeterae scientiae physicae ad maximum incrementum properabant, intensius et ipsa tractari coepit; tandem omnium ferme postremam scientiae more a reliquis sejunctam ad medicam praxim jure meritoque revocarunt.

Illud fuit semper Anatomiae Pathologicae officium, ut in textibus animalibus morborum naturam poenitiorem detegat, et morborum producta. Ego vero praeter solida lubenter considero sub ejus ditione posita etiam morbosa fluida, neque modo ea, quae in cadaveribus se se offerunt, sed fluida quoque, quae vita vigente in aegrotantibus perturbari, immutari, vel procreari solent. Haec fluida, quorum naturam saepe intimius nosce plurimi fa-

cimus, experimentis physicis et chemicis subjici possunt ac debent. — Morbi penitior natura est pathologica conditio spectatissimi Fanzagi, et dicitur peculiaris ille morbosus processus, qui licet morbus universalis sit, tamen accidit, vel in organo aliquo, vel in aliquo systemate. Jam vero si in quovis morbo communi omnium medicorum consensu datur perturbatio miscelae organicae et vis vitalis; haec perturbatio miscelae organicae et incitationis cum conditione pathologica Fanzagi proxime convenire videtur. Avolat semper cum extremo spiritu morbosa incitationis ratio, nec sui vestigia linquit; perturbatio vero illa, vel immutatio materiei organicae, quae in pathologica conditione adesse debet, semper (dummodo adeo levis et ipsa non sit, ut morbus per eminentiam mere dynamicus dici mereatur) post mortem manet, et *primam sistit classem* aberrationum textuum animalium et fluidorum, quae investigationibus anatomicis offeruntur. Illae vero aberrationes solidorum et fluidorum animalium, quae in semetipsis morbum sua natura non includunt, sed morborum sunt effectus, posthuma, sive producta alteram constituunt *classem* immutationum necroscopiis potissimum denudandarum. Hanc binam partitionem practicam omnino esse, proficuam, et singulis casibus adcommodatam nemo non videt: tali pacto in phlogosi suppuratoria habemus exemplum, quod spectat ad primam classem in aberrante conditione vasculorum capillarium et sanguinis; et exemplum alterius classis in congerie secreti puris: sic calculi urinarii ad secundam referuntur, et pathologica conditio renum adhuc ignota ad primam relegatur. Hisce perpensis clare patet, difficilius manifestari sensibus nostris aberrationes materiae organicae, quae ex pathologica conditione promanant; facilius vero detegi morborum producta, sive posthuma. Sunt nonnulli, qui minus quam deceat, Anathomiae pathologicae

concedunt; objciunt enim, plurimas se irrito necroscopias instituisse, nec in cadaveribus reliquia vel minima defuncti morbi reperisse, praecipue phlogoseos, vel quae adeo levia ancipitis formae, et geneseos nihil certi, nihil utilioris praestassent. Nemo sane negabit, frustra nos quandoque cadavera consulere: verum id tantum accidit post morbos mere dynamicos, vel ubi pathologica conditio evolvi coepit in textu aut organo vitae summe necessario, et post acutissimum morbi decursum quaeratur: Neque adeo facile in cadaveribus phlogoseos vestigia deleri admitterem; postquam in phlogosi vasculorum injectorum quantitas immodica, eorum distensio et vegetatio ita increverunt, ut diu etiam post mortem superesse debeant; neque tantam in inflammato textu sanguinis copiam (licet in serum et crassamentum dissolvatur) evanescere posse putabis, dummodo praeter nimiam illius quantitatem, ejus qualitatem etiam consideres; qualitas enim haec est, ut rubra pars sive crassamentum magnopere abundet. Nisi invenias in cadavere phlogoseos vestigia, fatere potius, congestionem sanguineam, non veram extitisse phlogosin. Quoad caetera, licet revera contingant, tamen minus frequenter contingere, quam nonnulli dictitant, libenter defenderem. Ad minutum enim et diligens cadaveris examen deficit plerumque tempus, patientia, quandoque et aptior locus et instrumenta: praeterea id, quod alii se unquám invenisse negant, nos quoque invenire posse quandoque desperamus. Quisquis adcuratam et bonae frugis necroscopiam instituere cupit, caveat primum oportet, ne velit invenire in cadavere, quae in diagnosi morbi multo antea se inventurum praedixerat; praesentem quidem habeat anatomicus morbi praeteriti formam, symptomata quaeque et decursum, sed haec ipsa nonnisi ad diligentius examen instituendum inserviant: novis potius oculis accedat, quam cum imagine procreatae sibi textuum lae-

sionis; festinet lente, nec morae unquam eum pigeat; secernat an quidquid invenit, sit pathologica morbi conditio, an ipsius morbi effectus, ad primam scilicet aberrationum materiei organicae classem, an ad secundam sit demandandum: caveat etiam summopere, ne quidquid morbosum videtur, morbosum etiam judicet; sunt enim quaedam organorum insolitae formae, quae ullo modo, nec facultates impediunt, neque functiones laedunt; quidquid recedit ab universali humani generis physiologia, non ideo pathologicum aestimandum est; quilibet enim hominum suam habet peculiarem in facultatibus et functionibus harmoniam, cuilibet, ut ita dicam, inest individualis quaedam physiologia: tandem non omnia cultro concedat, neque omnia, quae sana primo intuitu adparent, sana etiam existimet: injectiones, microscopia, macerationem, et ipsam quandoque analysim chemicam in suum revocet auxilium. Sic plura forsitan inveniremus, quae sua natura nos latere videntur. Est pathologicae conditionis peculiaris hucusque ignotae effectus in glandulis tantum secernentibus ordiens, quem scirrhum adpellamus: scirrhi characteres physici color, splendor, pondus, tenacitas, elasticitas, textura conveniunt cum characteribus physicis cartilaginum: porro desinit scirrhus in dissolutionem propriam, quam canceraticam dicunt, chondritidis et osteitidis dissolutioni ichorosae (nunquam purulentae) physicis characteribus prope simillimam. Jam vero quum tanta sit inter hos characteres analogia, an etiam poenitior compositio scirrhi cum illa cartilaginum convenit, aut saltem eidem proxime accedit? Numquid glandula secernens in scirrhum mutatur, quum uberiorem vel insuetam phosphatis calcis et albuminis copiam secernat, et in textus cartilaginei more disposita coagulatur? Verosimilia haec profecto videntur, sed certitudinis fulcro destituuntur. Instituat Anotomiae pathologicae cultor analysim chemicam scirrhi, videat,

an quae suspicamur, adsint, et inventa nobis manifestet.

Quum in diligentissima cadaverum sectione et partium scrutinio, Anatomiae Pathologicae incrementum sit positum; omnes ideo mihi de illa disserenti recensendae leges forent, quibus regularis et utilior necroscopia institui debet; meum esset quoque ufficium dicere, qua ratione, et quando modo cultro, modo injectione, modo coeteris auxiliis uti debeamus, quae investigationes singulis his experimentis innituntur etc., sed brevitas orationis et temporis defectus proclivi resistunt voluntati.

Ad infirmandam adhuc Anatomiae pathologicae praestantiam plura plurimi objicere non verentur: quasdam enim textuum perturbationes nonnulli tribuunt cadaverum putrefactioni, quasdam etiam fieri in ipso mortis articulo alii defendunt, et utroque modo morbos et morborum producta simulari posse. Nemo ibit inficias, fermento putrido ingruente textus organicos et fluida mutari debere: sed nemo etiam non videt, producta putrefactionis essentiali modo differre a productis morbosis; illa enim sunt opus universalis chemiae, haec vero in organismo vivo evolvuntur sub potestate legum omnium animalium, quae non modo sunt chemicae et phisicae, sed etiam dynamicae: adesse ergo debent certi characteres, quibus invicem secerni possunt, et licet inventu difficillimi, hoc opus hic labor, eximia sagacitate sunt inquirendi. Fateri quidem nos quoque debemus, productum putrefactionis posse aliquando pro morbi producto accipi et cum eodem confundi; sed si nudus oculus, tactus et nares, et mechanica experimenta nobis non sufficiunt, plura alia physica et chemica tentamina litem non infrequenter secernent; patebit tunc essentialis discrepantia, quam nudi sensus externi animadvertere minime poterant. Praeterea ad locupletandam Anatomen pathologicam novis semper observationi-

bus et experientiis necesse omnino tibi videtur, ut anatomici putrida pertractent cadavera? Putrefacta cadavera regnum inorganicum jam ingrediuntur, eidem etiam sunt committenda. Perraro omnino contingit, ut putrefacti cadaveris sectio tentari debeat: tempus enim quod mortem intercedit et tumulationem, impar saepe videtur ad profundiorem textubus immutationem ferendam: id si contingere potest aestivis ardentibus diebus, et necroscopia plurimi sit facienda, impediamus artificiali frigore, quominus chemica dissolutio ingrediatur.

Veritate longius abesse mihi videntur, qui adfirmant in ipso mortis articulo plura efformari posse in organis et textubus, quae morbosa dein judicentur: equidem profecto nescio, quaenam tunc perturbationes enascantur, nisi eae ipsae, quae in emorientibus omnibus evolvi debent, quaequae dein deleto vitae principio, necesse est, ut in cadaveribus omnibus aeque reperiantur. Hi defendunt adventante morte non infrequenter seri effusiones fieri, et injectiones sanguineas vasculorum capillarium. Quoad primum, serosas effusiones fieri tunc posse concedo; verum tali in copia serum colligi, ut morbum simulet, hoc fieri posse nego. Et revera letho ingrediente cuilibet perspectum est, paullatim auferri sentiendi et reagendi vires, paullatim subintrare indifferentiam illam, qua fluida stimula necessaria vasibus esse cessant, ac actio vasorum, evánescente vitali principio, evanescat necesse est. Est vis vitalis una et indivisa non modo in solidis sed etiam iu fluidis aeque distributa; dum igitur ea incipiat deficere in vasculis secernentibus, deficit eodem tempore etiam in sanguine secretionum fonte; utraque hac conditione destitutae quibus adminiculis serosae secretiones peraguntur? Concedamus potius, illa indifferentia suborta per relaxatos poros vasculorum exhalantium nonnihil seri stillari ex eo, quod sanguis letho accedente in capillaribus jam tum primum inci-

piens in binas sponte secedat partes, crassam... et serum: verosimilius credimus (idque frequentius) vaporem serosum deficiente tunc inhalantium energia, et animali calore, in densiorem formam sive liquidam addigi posse. Utroque vero in casu clare patet, nonnisi minimam seri copiam in cavis humani corporis colligi posse: secretio enim illa (ne dicam potius excretio) nonnisi sub hac spontanea et prima sanguinis lentissime circulantis decompositioni, et nonnisi uno tantum temporis momento locum habere potest, quum nova sanguinis unda eadem vascula a stagnante crassamento et evanescente motu organico ingredi prohibeatur. Eo vero pacto colligi videtur pauca illa seri quantitas, quam intra pericardium et cerebri ventriculos saepissime in cadaveribus invenire solemus, quae dummodo non excedat, a nemine unquam morbosum productum dici profecto mereiur. Similia dicenda sunt quoque de sanguineis vasculorum injectionibus, a quibus aliquando congestiones et phlogoses mentiri dictitant: laxitas enim vasculorum, quae sanguinem venientem facilius excipiens, vel rubros globulos admittens his injectionibus favere videtur, conjuncta procedit eodem temporis momento cum pigritia et lentore circuli.

Hisce sublatis controversiis proximius rem considerantibus Anatomiae Pat. praestantia directo modo luculenter patebit. Quilibet clarum perspectumque habet, praecipua medicorum conamina eo tendere, ut aegris hominibus valetudinem pristinam restituere valeant. Jam vero ut recta curatio et bonae frugis instituatur, cui magis attendendum nisi ad veram morbi diagnosim determinandam? Et vera morbi diagnosis nonne tota quanta innititur morbosa textuum organicorum conditione, quam nobis Anatomia pathologica sola detegit, atque ostendit? Fateamur ergo lubenter, nullam scientiam adesse inter eas, quae Medicinae favent, medico practico magis proficuam,

quam Anatome Pathologica: dum enim caeterae scientiae invicem sibi auxiliantur, haec una immediate arti nostrae prospicit. Quum ad lectulum aegrotantis hominis accedas, frustra Anatomen Physiologicam, Physiologiam, et Pathologiam etiam (si ab ea ipsa, uti erat quondam, sejunctam consideras) consules, ipsa ibi quandoque incerta haesit Therapia specialis; nec morbum determinare, nec auxilia facile suppeditare scies, nisi attentionem et ratiocinium tuum ad pathologicam conditionem prius convertas: ubi enim caetera et ipsa potiora symptomata te decipere valent, haec una Anatotome Pathologica omnibus certior et validior medentem non decipit. Cui adscribes doctrinam phlogosium illarum, quae lentae diu, subdolae, ac fraudolentae decurrunt? Unde maximum suum hausit incrementum universalis Pathologia, et specialis? Nihil sane eisdem profuit Physiologia: quum enim scias animales integras facultates atque functiones, nondum noveris earum aberrationes, quae unicum ac saltem praecipuum sistunt medentibus objectum: profuit mehercule Anatome Pathologicae, cujus ope tot quae ignorabamus, reperimus, et tot errores deteximus, unde universae medicinae facies immutata prorsus videatur. Virium animique prostratio, vultus tristis et pallidus, languidus oculorum motus, pulsus parvi frequentes adparenter debiles, adpetitus deletus, animi quandoque deliquia et convulsivi motus, dolor abdominis, ad inguina ad interna crura saepe mitis, vomitus quandoque pertinax, tremor, frigus membrorum summum, singultus etc. an tibi satis morbi naturam et gradum detegunt in Peritonitide puerperali, et metritide praecipue lentis? An methodus medendi apud antiquos, qui ex symptomatibus hisce eam depromebant, respondebat morbi sincerae conditioni? An methodus antiphlogistica, quae larga manu administrari debet, ex his morbosis phaenomenis sat clare patet? Phlogosim hanc pervica-

cissimam peritonei et uteri non equidem ratiocinium, sed Anatome Pathologica detexit. Pellagra ex miseria oriri videtur, aut saltem in miseris evolvi; symptomata ejus pleraque hyposthenicam morbi indolem saepe mentiuntur: ast conditionem ejus pathologicam externae dermatitidi et internae (enteritidi) respondere, delirium ejus modo placidum, modo furiosum cum encephalitide modo miti modo gravi convenire Anatome Pathologica tandem nobis ostendidit; et quae prius stimulis obtemperare nesciebat, antiphlogisticis obtemperare nunc saepe vidimus. Haec est praestantissima scientia, saepius dicam, Anatome Pathologica, quae dum ad pathologicas conditiones detegendas nos ducit, medico practico in dijudicandis morbis id idem praestat, quod in dijudicandis scelestis hominibus sic dictum *corpus delicti* judicibus praestat.

Quae quum ita sint, quam grave est nobis et prope luctuosum, medicos antiquissimos ad solos aegrorum lectulos observationes suas olim instituisse, et inde fallacia utpote quae praecocia practica tradidisse praecepta! Sed non minus dolet, posteriores omne tempus et omnem curam impendisse in excolendis scientiis illis, quae naturalem hominis physicam texturam, legesque saepe fugaces functionum, et vires facultatum inquirunt, serius vero quam par erat, ad morborum occultas sedes, ad pathologicam, ut dicunt, conditionem deprehendendam attendisse. Et his etiam temporibus in scholis Europae nostrae plus aequo coli videntur scientiae nonnullae, ex quibus parvum admodum emolumentum medicina lucratur, Anatomen vero Pathologicam ex professo coli minime videmus. Habet suam cathedram Zoojatria, habet suam Botanice, habet etiam suam minus proficua Historia Naturalis: Anatomiae vero Pathologicae, quae ad praxim tota quanta refertur, et tantam universae Medicinae utilitatem praestat, cathedra deficit. Gratulari tamen summopere debemus omnibus neotericis medicis

hujus scientiae praestantiam satis notam esse, et in quovis Archigymnasio Professores adesse, qui sponte ubi contingat, de illa publice disserant. Est Anatomicus, est Pathologus, et Clinicus, quorum unusquisque aliquam illius partem, quae ad rem suam magis conferat, docet. Nihilominus desideratur adhuc Professor scientiae more eam publice pertractans, cui diligens et minuta necroscopia cadaverum illorum, qui in clinicibus interierunt, tradita sit. Hoc sane est in votis pii cujuslibet Jatrices artis amatoris, ut tandem volumina tot scriptorum in hac re celeberrimorum publica versentur manu, erripiantur privatae lectioni, et in Academicis aulis consulantur praetiosissima opera illustris Bonnet, maximi Morgagni, Compendiarii Lieutaud, accurati Baillie, Soemmering, Ludowig, Heisterii, de Haen, Stoll, Home, et Camper et plurimorum etiam recentium, quorum elogia et nomina in brevi oratione praetereuntur. Horum exempla et ipsi sectemur, sedula sagacitate instructi, amore veri et novi adliciti saepe cadavera versantes nos quoque et adhuc multa inventuros esse, et communi medicinae nostrae incremento adhuc consulere posse non desperamus.

Non meo erat in animo omnia, quae de hujus scientiae praestantia dici merentur, in medium proferre, neque orator ejus laudes celebrare, neque vir doctus ad amussim rem pertractare volui: dicere nonnulla statueram, quae animadversione non indigna mihi videbantur, neque novitatis amoena larva destituta omnino adparerent. Dixi.

THESES DEFENDENDAE

I.

Ubi non sunt glandulae secernentes, ibi neque scirrhus oriri potest.

II.

Morborum denominationes a conditione pathologica sunt depromendae.

III.

Enteritis distinguenda est in catarrhalem, rheumaticam et muscularem: primae respondet diarrhoea inflammatoria, et dysenteria; alteri peritonaeitis; postremae colica inflammatoria et Ileus.

IV.

Anulus obscurior, qui cataractam circumdat, modo ex margine lentis nondum opaco procedit, modo est paenumbra iridis.

V.

Morbi morales a causis physicis, et morbi physici a causis moralibus progigni possunt.

VI.

Latet adhuc, qua re urina secerni et excerni debeat.

VII.

Nescimus, qua re sanguis, qui ad majorem partem organorum, et quidem nobilium, defertur, urinae principiis non sit depurgatus.

VIII.

Opii certior virtus ad diarrhoeas hyposthenicas relegatur: sub aliis indicationibus caetera narcotica sunt praeferenda.